

seu privilegium p rei memoriam in posterum observandam. et probationem in posterum faciendam. auctoritate nostra iudiciaria. et decreto nostro intervenientibus et in formam publicam redigi faciemus. sub sigillo nostro seu curie antedictae. Cum tenore predicti rescripti . . . privilegii. vellet literis presentibus verbo ad verbum poni. seu etiam prescribi. Cum eo dictus prior quam plurimum indigeret. Unde nos predicto obedientie sedentes pro tribunali. iustis ipsius prioris supplicationibus et precibus inclinati. Cum iam petentium desideriis dignum. et effectum prosequentem complere vota. que ad rationis tramite (*sic*) non discordant. adtendentes. quod curare debet iudex quod sit salva rerum probatio. et quod caute futuris est casibus occurrendum. Habita iudiciaria cognitione. que debet in talibus adhiberi consideratis et observatis que debent in talibus considerari et observari. omnibusque rite peractis. auctoritate nostra iudiciaria intercedente. dictum rescriptum seu privilegium. et bullam in eo appensam. diligenter inspeximus. et tam nos quam dictus prior recognoscentes dictum rescriptum seu privilegium esse verum. et integrum. et vera bulla cum filo de serico. vere et integro bullatum. et dictam bullam in dicto rescripto seu privilegio esse appensam. et esse veram. et integram. et omni falsa suspicione carentem. ipsum rescriptum seu privilegium fideliter transcribi fecimus. et mandavimus. per dilectum. et fidelem nostrum Iacobum de parrachio notarium in hac presente carta auctoritate nostra iudiciaria intervenientibus predictum scriptum seu privilegium. publicavimus et in formam publicam redigi fecimus. ad perpetuam rei memoriam in posterum observandam. et observationem in posterum faciendam. Cuius rescripti. seu privilegii. Tenor talis est.

Pascalis Episcopus servus servorum dei. Dilecto filio. Hermengaudo Clusini monasterii Abbati eiusque successoribus Regulariter substituendis. In Perpetuum. (*In maiuscula*). Sicut ex gestorum veterum commemoratione cogno-